

## De oudste particuliere oorkonden van Werden (Ed. Blok) Nr. 41

Notum fieri cupio omnibus tam presentibus quam futuris, qualiter ego Huntio, filius quondam Egilberni, tradidi res meas ad ecclesiam sancti salvatoris que est constructa in pago Ruriggo, in loco qui dicitur Uuerthina, super fluuio Rura; hoc [est] iornale uno de terra in villa nuncupante Uuiti et cum eo medietatem de silva, quicquid mihi in ipsa villa iure paterno aduenit; traditumque in perpetuum esse volo et prumtissima uoluntate confirmo, ut post hunc diem custodes ipsius ecclesie habeant licentiam tenendi, habendi, possidendi, commutandi, vel quicquid exinde facere uoluerint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem, stipulatione subnixa.

Actum in Uuerithina monasterio, ubi conscripta est, sub die IIII kalendas iunias, anno VII imperante domno Hluduuuico imperatore. Ego Adalgerus diaconus rogatus scripsi et subscripsi. Signum Huntio qui hanc traditionem fieri et firmare rogavit. Signum Aluric. Signum Alfnand. Signum Regimbald. Signum UUlf. Signum Reginbrat. Signum Theodbald. Signum Reginmar. Signum Benno. Signum Helmbrat.